

26 Prax. Chymiatri. Sect. I.

Hermetis, idque duodecies, tum Crocus fit oleum, hujus gutt. j. in vino-vita cordis summa est letitia senibus & melancholicis. Lib. 3. paragraph. c. 2. §. 4. attingit vim ejus penetrativam. Valde quoque ab eo commendatur liquor Luna, Corallorum, Sapphir. Muse. Spir. Gilla, lib. de vit membr. c. 4. Laudat Sal. Zuis Thold. Schröd. in pharmacop. I. 3. c. 14. & in appropriatis sanguinem asini ex venis post aures exceptum & pulverem secundina Hartmannus in Chymiatria.

Specif.

C A P. IV.

De

Maniâ.

**P**ROgredimur nunc ad atrocissimum illum affectum, quo homo creaturarum nobilissima, & ad imaginem creatoris expressa, excisa ratione, infra pecudum dejicitur sortem, Maniam dico, malum ingens & abominabile, mentis lachrymabilem e-

Mania  
quid.

mo-



Cap. IV. de Maniâ. 27

motionem, quâ qui cum antea affabiles, placidi, audacia & loquacitate temerarii & iracundi fiunt, torvum & truculentum horrendo vident aspectu, quin etiam appropinquantes admirando robore & plusquam belluina invadunt ferocia & sic à melancholicis distinguuntur. *Causam Galenici afferunt fervidam & igneam dispositionem spirituum animalium, à biliosis atris calidisque humoribus in cerebro proximioribus venis & arteriis, in ipsis quoque vasis cerebri detentis, exortam. Jonston. in Idæa prax. l. 8. c. 4. art. 5. & alii occultam potius & potentio- rem causam necessario conjungi illudque ex symptomatum enormitate & diuturnitate parere scribunt, quæ verò sit, tacent, & benè faciunt, quia melius est tacere, quam ineptè loqui.*

*Causa  
Galenicæ.*

*Paracels. ut cap. 2. de Phrenesi notavimus, causam Maniæ ponit l. 10. paragr. de capitis adversitatibus internis. §. 3. in oppilatione partis per calidum aut frigidum resolutum & coagulatum, ideoque duplex dicitur, una quæ est ex destillatione & resolutione, altera ex sublimatione & coagulatione.*

*Hermeticorum.*

libr.



libr. 1. de morb. ament. tract. 1. c. 2.  
 Maniam oriri ex tribus primis, i. e.  
 Quando tria prima, in quâ parte ho-  
 minis sit, à se invicem dissolvuntur,  
 in nequitiam eunt, Sulphur accenditur,  
 Sal reverberatur in calcem & in aquam  
 fortissimam solvitur, quæ humori vi-  
 tæ permixta, eum incendit, tumq; ite-  
 rum subtilissimi à crassioribus sit sepa-  
 ratio; Sic Mercurius, cui tanta est sub-  
 tilitas, ut nequaquam in fundo perma-  
 neat, sed ad summa tendit, nimium e-  
 nim depuratus & spiritualis factus vo-  
 latilitate & acrimoniâ maniam produ-  
 cit. Quemadmodum oculi lumine so-  
 lis perstringuntur penetrabili, sic mens à  
 subtilissimo Mercuriali spiritu sydera-  
 tur. Si vero materia non resolvitur,  
 sed in coagulatione jacet, urit & incen-  
 dit non aliter ac Nitro conflagrato sal-  
 fixum ejus igneâ qualitate pollet. Sed

*Obj.*

quæres cum Phrenesis cap. 2. proveni-  
 at à Sublimatione Mercurij, quomodo  
 Mania indè possit existere; vel quomo-  
 do ab unâ eademque causâ diversi illi  
 oriantur morbi: Respondetur 1. Hos  
 morbos unam eandemque quidem ha-  
 bere causam materialem, sed non for-  
 malem, cum in maniâ nulla prorsus  
 fiat

*R.*



Cap. IV. de Maniâ. 29

fiat sulphuris nitrosi inflammatio, unde febris in phrenesi. 2. plures morbos posse ex eadem causâ remotâ sive antecedente oriri, qui tamen in proximâ & immediatâ variis accidentibus differant.

Curatio instituenda est 1. Evacuando illud, quod mineram morbi alit, tum per superiora, tum per inferiora purgantibus. Confugiunt hic plerique ad *Extract. Hellebori nigr.* unde si quis fatuus, aut stolidus, purgandus *Helleboro* esse dicitur; alii ad *Antimonium*. In quo etiam perfecta cura insanix, ut cap. præced. diximus, consistit, nec minus in *Mercurio*; Inde non immeritò commendatur justâ dosi exhibitus *Mercurius vita* legitimè præparatus vid. Schröd. pharmacop. l. 3. cap. 15. pag. m. 410. & Croll. basil. Chymic. p. m. 130. *Flores Antimonii correct.* ibid. p. 133. &c.

Venase-  
ctione.

*Venasectio* ad hæc instituenda, ut illud, quod destillatum & nimis spirituale est factum, resideat.

II. Coagulando illud quod resolutum & resolvendo quod coagulatum est; inter alia præcellit *oleum camphoræ* & ad intra & ad extra usurpatum, *Laudanum opiatum*, quod describit Conradus Khunradt in medullâ destillatoria p. m. 469. & 470.

Elect.



30 Prax. Chymiatr. Sect. I.

Elect. laudan. Croll. p. m. 179. Saccharum Saturni, Sal Jovis, Tinctura Arimonii, Tinctura Luna, Hypericon, Liqor Corallor. Spir. Vitrioli Philosophico striatus s. arcanum Gilla. vid. Paracels. lib. de virib. membr. cap. 3. & 4. pag. mihi 319. & 320. de oleo Camphoræ, Paracels. de morbis ament. tractat. 2. cap. 2. p. m. 501.

℞. olei camphor.

Musci ana ʒj.

Misc. Dosis ʒʒ.

hoc mirifice tollit Maniam, extinguit calorem corporis, effervescentiam sanguinis sedat, coagulat materiam, ut frigus aquam in glaciem & simile huic recepto nullum invenimus.

Causa antecedentes.

Sunt & causæ antecedentes, quæ tria prima alterant.

1. Menstruum & sperma retentum.

1. Menstruum & sperma retentum inque naturam talis veneni conversum, de quibus in suis titulis vid.

Philtrum.

2. Philtrum propinatum unde Poeta.

Phil



*Philtera nocent animis vimque furoris  
habent.*

*in quo iuvat extractum nasturtii & pul-  
vis secundina ex primipara masculi.*

3. *Vini à fulmine congelati potus, quòd maniam inducat meminit Seneca & hæc Mania est per coagulationem, fulminis enim qualitas vel potius particulæ sulphureo nitrosæ vino impressæ in microcosmo eandem faciunt operationem ac fulmen in vino, quod fulminis ejus vi admirandâ ita congelari potest, ut etiam aliquando vase fracto non diffuat, de quo Albertus magnus ita sentit; Calor, inquit, succum viscidis siccisque vaporibus permixtum facillimè coagulare, viscidum reddere & indurare potest; quippe eodem modo, sulphur, nitrum, saccharum generantur: si radius vinum, quod ejusmodi vapores in se continet, ferit, ob abundantem verò humiditatem penetrare nequit, ideoque extremas ejus vini partes indurat, ut tanquam in utero consistat, in modum congelata & sub glacie conclusa aqua, quod*

*Vinum  
fulminis  
congelatum.*



demonstrat sequenti experimento, *Recipe Pulicariam impone in vino, & viscoso humore, quem vinum exhalat, in externis impragnabitur partibus.* (sed viscosum hunc humorem non ex vino sed mucilaginem ex herbâ, u- dico)

*Cura.*

*Sylvester Rattrey* de causis lyn. & antipathia arcanis scribit, Martem præservare à fulmine vinum, quod etiam apud vulgus irruente tonitru in usu est, vino ferventi & cerevisiæ recens co- &æ chalybem immergere; ita maniam ex vino congelato, ab alio etiam coagu- lato, non melius, quàm Martialibus, *Essent. oleo. vel tincturâ Stis &c. compe- sces.*

*Vegeta-  
bilia in-  
sana.*

4. *Vegetabilia quadam, Cicuta, Man- dragora, Hyosciamus. Solanum &c. as- sumta, quibus spiritus ejusmodi sulphu- reo-Mercurialis inest, qui in spiritus vitæ agit eosque sævire facit. Quo- rum antidota Spir. vini. Essent. castorei. ruth. &c,*

*Cura.*

*Morsus  
rabido-  
rum. Ta-  
rantula.*

5. *Morsus diversorum animalium; ut morsus Tarantula, quo periciti Mu- sica curantur, præsentissimum verò est remedium, si tarantula, quæ læsit, ic-*



fit. idui super imponatur, cujus elegantē descriptionem apud Athanasium Kircherum l. 3. de art. magnet. vide. Sic & morsus Canis, Felis, Lupi rabidi, unde *Kynanthropia*, *Æluranthropia*, *Lycanthropia* dicitur, quâ homo se felem, canem, lupum factum esse imaginatur, illorumq; mores imitatur, à quo deridenda & à rectâ ratione aliena opinio multis persuasit, hominem verè in lupum, quem *ein Wâr. Wolff* dicunt, transmutari. Hæc mania plerumque est cum vehementi liquidorum omnium & aquæ potissimum abominatione, sed cura est in ipso animali, cujus pili imponantur ad extra vulneri, siquidem venenum attrahunt, similiter exusti propinantur, deinde jecur rabiosi tostum demorsum si comedit liberat & ne tentetur hydrophobiâ tuetur. Crollius de signaturis rerum p. m. 49. Si verò rabiosum illud animal haberi nequit alexipharmacis & sudoriferis quam citissimè utendum est. Lupus piscis magnum contra morsus omnes canis præstat medicamen & est cutis in superiori capitis parte. Fiunt etiam Lycanthropia & aliæ species amentium absque modò dictis causis per imaginationem

Curatio.  
Morsus  
Canis, felis, lupis.

Curatio.



34 Prax. Chymiatr. Sect. I.

onem deviantem, quæ astrum hominis  
internum movet, ut impressione suâ  
in veneni ejusmodi mineram agat. Plu-  
res species amentium vid. in, *Paracels.*  
*de morb. amentium.*

CAP. V.

De.

*Caduco.*

*Caducem.*

*Ejus spe-  
cies.*

**S**ub nomine Caduci Galenici so-  
lum intelligunt Epilepsiam, veram  
secundum Paracellum est nomen  
generale, & comprehendit suble vari-  
as species, quod videre est. l. 3. §. c.  
1. §. 2. *Nunc quæ agritudines ad ca-  
duca genera pertinent sunt ista: E-  
pilepsia omnes species, suffocatio ma-  
trix extra locum: syncopa cum gene-  
ribus suis (videlicet deliquium redi-  
ens & non rediens Syncope) vertigi-  
nes & id genus. ibid: paragr: 3. Sunt  
& plures agritudines ex generibus  
de Caduco sinelapsu; Sicut Tetanus  
Spasmus, tortura oris (quæ statim con-  
vel-*